



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Philaretus C. 1. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

754 VITÆ SANCTORUM. I. Dec.
quibus, cum jam miraculis etiam clarus
esset, Episcopus Noviomenfis dictus,
cum eo in munere Apostolus Flandriæ
dici meruisset, cœnobia plura fundasset,
corpus etiam S. Quintini Mart. reper-
tum terrâ eruit, vicemque ipsius suum
huic mandavit. Ex Lipp.

*Noveris licet omnia mysteria, noveris
alta terra, alta cœli, profunda maris; si
te nescieris, eris similis ædificanti sine fun-
damento; ruinam non structuram faciens
quidquid extruxeris extra te erit instar
congesti pulveris ventis obnoxium. Non ergo
sapiens, qui sibi non est. S. Bern. l. 2. de
Confid.*

S. PHILARETUS C. I. Decembris.

PAphlagonia PHILARETUM genuit
rusticæ sortis hominem, sed qui se-
mentem egregiè facere novit. Cum e-
nim optimos agros non malè existima-
ret pauperes esse, in hos liberali manu
diffeminare sua non prius abstinuit,
quàm ipse denique egeret. Non tamen
fidem fefellerè optimi coloni tam bene-
cultura arva. Etenim cum Irene Imp. filio
Constantino sponsam diu circumspice-
ret, Maria demum, formæ id temporis
unicum miraculum, eademque PHILA-
RETUS in neptis, placuit. Igitur Maria ad
regium thalamum, PHILARETUS
ad summos honores, Consulatum ero-
catur.

2. Dec. VITÆ SANCTORUM. 755
catur. Hic verò noster ab aratro Consul
in id potissimum incubuit, ut pauperum
necessitati consulere. Nimirum vidis-
ses proletarios, & uno capite prius cen-
sos censum jam Consulis numerare.
Iam pontem Consulis Curiam dixisses,
pontique incolas conscriptos PP. qui u-
tique frequentes coibant in eum sena-
tum, in quo de ipsorum salute consulta-
batur. Porro *Philaretus* supremum æ-
grotans, cum agnati sanguinis omnes
convocasset, multa præclara moriens o-
racula dedit, ultimo eos omnes suæ in-
miseros pietatis heredes scripsit, & testa-
mentum pulcherrimo dicto (*estote mise-
ricordes*) obsignavit. *Ex Menais.*

*Transferamus, absacro, quæ in hâc alie-
nâ regione habemus: etenim licet multum
inter se distent, facilis tamen est transvectio
per manus pauperum: eorum enim manus
in caelestia promptuaria sibi data reponunt.*
S. Chryl. in cap. 13. Gen.

S. FRANCISCUS XAV. SOC. IESU.
2. Decembris.

FRANCISCUM XAVERIUM, da-
mus, virum, cujus animo alter etiam
orbis angustus fuit. Dum vixit, virgo vi-
xit. Testimonium animo integerrimo
corpus dixit, longè post mortem etiam
in vivâ calce integrum. Sui semper egre-
gius victor non semel è morbidi ulcere
Bbb 2. ipsius